

III.

NEOVIDENSIS

Nro 76. (*Neovidensis* 1805. Nro 73.)

---

*Secretum litterarum commercium vivos  
inter, ac mortuos.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Martis 23. Sept. 1805. (Neov. 10. Sept.)

---

Magni nominis umbra.

*Lucanus.*

Colloquentes Personæ.

*Wilhelmus Dux Glocestricæ — John Bute.*

*D. Glocestricæ.* Ni fallor ætate venerabilis Bute **manes** mihi videre videor.

*Bute.* Venerationis plenus, Regiæ Domus nostræ Principi occurro, in beatæ tranquillitatis sedes eum inducitur.

*D. Gloc.* Gaudeo Care Bute! de tuo hic loci conspectu. Tandem uterque regionem quietis, quam incassum diu vita comite quaesivimus, attigimus.

*Bute.* Aeternitatem Princeps!

*Gloc.* Gratulor mi Domine! me vocem a te nunc prolatam, audire. Res profecto singularis, nos in quibusdam *objectorum* notionibus, quæ sensibus nostris percipere nequimus, ad nullam evidentem certitudinem in

mundo sublunari pervenire potuisse, thesim-  
que ejus juxta & Antithesim veram videri,  
Prout ab una vel alia sua parte consideratur,  
non aliter, ac si duo diversa in nobis daren-  
tur *fixa puncta* ex quibus nos ad *essentiam* ho-  
rum *objectorum* eodem tempore consideran-  
dam duci sentiremus; sit exempli causa, vox  
paulo ante a te prolata *æternitas*.

*Bute. Aeternitas?* Dum mens nostra cogi-  
tationes suas in præteritorum remotissima,  
aut futurorum abdita conjicit, nusquam fixum,  
in quo conquiescat, in quo consistere valeat,  
reperit *punctum*, utat etiam id quæsierit  
Nihilominus se adactam videt: fessas men-  
tis alas denique submittere, quod *Infini-  
tum* percurrendo impar sit; semper tandem  
in alterutro extremorum *punctorum* adhæren-  
dam sibi est, quæ *principium & finis* audiunt.  
Imo his eventorum *repræsentationibus* semet ab-  
dicare non posse videtur, quippe omnia  
mundi sublunaris *objecta*, quæ mentis acies  
unquam assequi valet, nobis, prout id ipsum:  
quod in mundo *existamus*, non alia ratione;  
quam sub notione *principii & finis* comparent;  
Jam vero: tametsi mens se adstrictam sen-  
tiat, necessitatemque sibi impositam videat,  
in alterutro horum *punctorum* subsidendi,  
tamen mox alius animi sensus, in nobis.  
*Infinium* ominans sciscitatur: quidnam ultra  
*principium & finem* lateat?

*Gloc.* Ita est; quæ finitis nostris sensibus  
impervia sunt, assequendi, comprehendendique  
nobis votum est.

ne ob  
senter  
miæ  
intra  
modo  
rioren  
verun  
est,  
deber  
nobis  
Quid  
spon  
quæ  
nat?  
evad  
mus.

es;  
cupi

stris  
scen  
bina  
ginat  
reali  
una  
vis  
poss  
mod  
Dar  
Infi  
inte

*Bute.* Non aliter se res habet, in notione obtinenda *Universi*. Dum a parte una sententiam amplecti cogimur: huic *Oeconomiae Universi*, in quantum Totum aliquod intra se conclusum efficere deberet, non modo alicubi *Centrum* ceu vectem, aut anteriorem aliquem elaterem vis suæ moventis, verum etiam, prout in quovis, quod Totum est, advertimus, *lineam* etiam *extimam* esse debere; tamen alia ex parte sensus alius in nobis huic sententiæ refragatur, dum rogat: *Quid nam ultra assumptum limitem esse possit?* respondemus: *spatium vacuum* — tamen rursus quæstio produci poterit: *ubi tandem illud desinat?* quo fit: ut *Universum* nobis infinitum evadat, quin tamen notionem *Infiniti* habeamus.

*Gloc.* Plane ejusdem mecum opinionis es; nempe animæ immortalitatem defendere cupis.

*Bute.* Ita sane: Nequimus sensibus nostris limites, legesque *perceptionis* eorum transcendere, & quascunque etiam notiones combinaremus, semper hæ elegantes solum *imaginationis formæ*, veritate destitutæ, *Idealismus*, realitate carens, forent. Quantumvis veto, una ex parte ob *sensualitatem* nostram, quævis saltem definita, temporanea que conipere possimus, tamen parte ex altera, sensus admodum intelligibiliter intonare nobis videtur: *Dari*, quamvis non comprehendamus, *aliquid Infinitum*, limitationis expert, aliquid, quod interire nequit, quod modificationum causa

est quidem, at nec iis, nec sibi ipsi sub-  
 jecta est; vox hæc, tam valide consecratis,  
 quæ ope sensualitatis formavimus, præva-  
 let, ut quæsitis improbo studio argutis ob-  
 tundi nequeat; quæ proinde ab ea, utpote  
 renitente, promanare non potest, imo potius  
 ab ente, natura ejus prorsus dispare, infu-  
 sam oportet; ab ente, quod ea, quæ sen-  
 suum limitem excedunt, perfecte quidem co-  
 gitando est, nobis tamen ea communicare  
 plene, vel ideo nequit, cum, quæ nobiscum  
 communicat, non ulla alia ratione iterum,  
 quam secundum leges sensualitatis a nobis  
 adprehendi quivissent, quamdiu huic, leges  
 illas excedere, sensusque communes transcen-  
 dentium Idearum capax fieri, id est: mira-  
 cula edere, datum non fuerit.

*Gloc.* Hæ animadversiones continuo me  
 mortali aura fruentem, exercebant, quam  
 quæso, finita humana mens est!

*Buté.* At ob quam etiam causam terrico-  
 lis aliæ, quam finiti, limitatique sensus ob-  
 tigissent? quippe: si ultra omninationem, de  
 Infinito, de continuatione melioris partis  
 nostræ, quidpiam sciremus, si certiores de  
 eo notiones haberemus, næ nos despiceremus  
 mundana quævis, illaque, ceu habitationem  
 in carcere detestaremur, sicque finem, ob  
 quem ad mundum positi sumus, neglexis-  
 semus; in summa: divina sapientia temere  
 nobiscum egisset. Nullum finitum ens, quæ  
 ultra sensualia sunt, plene comprehendere,  
 solum indicare potest.

*Glor.* Tyrannus, terrarum domitor & expugnator, qualem Attilam legimus, se immortalem optat, quam, cum suapte natura consequi non possit, eo saltem conatus suos convertit: ut nomen suum, gloriæque suæ umbram, immortalitate donet. Te saltem Domine! ab hoc conatu excipere licet, qui feliciter belli tempore publico status munere functus, ipso illo, quo fructibus fortunarum frui potuisses tempore, stadio honorum decedendum, eorum strepitum declinaturus, duxisti.

*Bute.* Quid vero tu Princeps? per dignitatis excellentiam ad splendida munera vocatus, quietam conditionem præferre, & tenuis valetudinis causa privatæ vitæ virtutibus vacare maluisti: Tristi equidem proh dolor! experientia doctus sum, pacis solum amantes principes felicitatem gentibus adferre. Heroico spiritu, eversio ita connexa est, ut perraro ab eo sejuncta deprehendatur.

*Magni heroes, gloria terras replent, at una et calamitatibus.*

*Glor.* Quicumque terras occupat, una & eversor est; quæ hodiernus immoderatus acquirendarum ditiorum zelus in terris consecraria protulerit, calles utique, nec te latet, qua ex eo adhuc consecutura sint.

*Bute.* Nec dum, probe mihi notum est: Europa omnis tranquilla est; patria nostra ad tempus portentosa illa excensione liberata est, at hæc nondum penitus abrogata, sublataque, fortassis solum dilata est; Publi-

cas interea, si animus est, paginas dispiciamus.

*Parisiis 6. Septembris.*

Monitor fert: Imperatorem 31. prioris mensis Italicam legionem sub imperio Ducis Teulie ad Boloniam lustrasse: Nudius tertius hora. 2, pomeridiana Suam Majestatem ad Malmaison adpulisse, heri Conventum Ministrorum in S. Clodoaldo celebrasse. Iisdem paginis continentur sequentia: *Combinatae Classes* 4. Augusti Ferroliensi portu egressæ 22. Gades adpulere. Anglicanæ Classis Præfectus Collingwood 4 navibus de linea, unaque mediæ magnitudinis pro portu excubabat, parum aberat, quin in manus nostras incideret, nisi Gibraltariam se recipiendi consilium arripuisset. Classicula, navalis Centurionis Allemand, a quo tempore Rupe forti egressa, maria percursat, aliquot anglicis navibus potita, 16. Aug. ad oram hispanicam adpulit, ex qua Oceanum rursus ingressa est.

### B i o g r a p h i æ.

*Wilhelmus Henricus Dux Glocestriæ* hodie regnantis Regi Angliæ frater, obiit 25. Aug. 1805. in urbe Governia. Præter dignitatem D. Glocestriæ & Edinburgi Comitum quoque Connanght in Hybernia, Equitis Periscelidis Ceruleæ, primarii Belliducis Britannici, Colonelli prætorianæ Legionis pedestris, Cancellarii denique Universitatis Dublinensis tenebat. Natus

26. N  
Sept.  
duam  
monit  
sione  
ex re  
sibi c  
libero  
Roma  
Gene  
diis.  
prom  
mus  
sis.  
dolo  
tia p  
mag  
gore  
flige  
blici  
anni  
pote  
patr  
virtu  
fuit  
mas  
deri  
deri  
utili

Bar

26. Nov. 1743. matrimonio sibi junxit 6. Sept. 1766. *Mariam C. Woldegrave* relictam viduam & filiam *Roberti Wallpole*. Hoc matrimonium celebri Legi nuptiali ferendæ occasionem dedit, qua cautum: ne quis deinceps ex regia Domo personam, quæ subdita esset, sibi desponsaret. Ex hac conjuge 3 sustulit liberos: duas filias, & Principem *Wilhelmum Romæ* 15. Januarii 1776 luci editum, hodie Generalem Locumtenentem in regni stipendiis. Insignibus dotibus pollebat: desiderio promovendi utilia instituta; Protector Domus Pauperum, Præses Nosocomii Londinensis. Paulo ante mortem diris excruciabatur doloribus, quos summa cum animi constantia pertulit. Egregius hic princeps virtutibus magis privati hominis, quam dignitatum fulgore inlarescere voluit. Adversa, qua affligebatur, valetudine in juvenili ætate a publicis muneribus gerendis prohibitus, pluribus annis valetudinis causa in Italia, mitiore utpote Climate moratus est. Cognati regii eum patrem suum vocabant, & magna ubivis virtutis ejus memoria est. Hic novissimus fuit 4 principum, qui, cum rege Angliæ, masculam progeniem Principis Valliæ: *Friderici* constituunt. Princeps *Wilhelmus Fridericus*, Romæ natus, Ducis Glocestriæ nunc utitur titulo.

*Bute.* (Joannes Carolus) Vice-Comes & Baro de *Monn Stuart* &c. Nobilis hic, defun-

Quis *diversis*, magna dexteritate, muneribus,  
 Anno 1763. Minister publici status creatus,  
 Anglis diuturno, sumtuosoque bello fessis,  
 peneque exhaustis, tam gloriosæ utilisque  
 pacis auctor fuit, quam unquam inita con-  
 fidaque fuit. Quo tandem excelso perfun-  
 ctus opere, statione decessit, litterario otio,  
 musisque vacaturus. Natura sua philoso-  
 phicis disquisitionibus delectabatur, intellectu  
 amplo præditus, moribus integerrimis. Litter-  
 rarum, litteratorumque fautor, fotorque ma-  
 ximus, præcipue: qui ingenio, vitæque pro-  
 bitate se commendabant. Unde factum est,  
 quod Regem pro 300 Libr. pensione annua  
 Doctori *Johnsonio* conferenda, oraret, & im-  
 petraret. Inter complura amoris in litteras  
 argumenta est illud: quod suis sumtibus exi-  
 mium *opus botanicum* ex solo Britannicæ petitas  
 plantas complectens, in 9 Voluminibus in  
 4-to ediderit. Cujus operis 12 solum Exem-  
 plaria aeri incisa sunt, & expensæ ad 1000  
 libras æstimabantur. Ex his Regina, Dna  
 Dux Portlandiæ, D. Buffon, Susanna Mac-  
 kenzie, Banks & Lord Monstuart exempla-  
 ria obtinebant, reliqua pro legatis faciendis  
 sibi retinebat, tabulæ vero æneæ confractæ  
 sunt. Obiit 10. Martii 1792.